



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

300. Ordo ad dandam pœnitentiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

ficij sacerdotalis, & me exiguum humilè-
que mediatorem constituisti ad orandum &
intercedendum ad Dominum nostrum Jesum
Christum filium tuum pro peccantibus & ad
pœnitentiam revertentibus. Ideoque, domi-
nator Domine, qui omnes homines vis salvos
fieri & ad agnitionem veritatis venire, qui
non vis mortem peccatorum, sed ut conver-
tantur & vivant, suscipe orationem meam,
quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ
pro famulis & famulabus tuis qui ad pœniten-
tiam venerunt, ut des illis spiritum compun-
ctionis, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo
adstricti tenentur, & ad te per condignam sa-
tisfactionem revertantur per eundem Do-
minum.

Videns autem ille qui ad pœnitentiam ve-
nit sacerdotem tristem & lacrymantem pro
suis facinoribus, magis ipse timore Dei per-
cussus ampliùs tristetur & exhorrescat peccata
sua.

*Hic locus sic habet in veteri codice MS. mo-
nasterij Rivipullensis: Videns autem ille fra-
ter, qui ad pœnitentiam venit, hanc sacer-
dotis humilitatem, magis peccata sua ex-
horrescit, magis scelera sua pertimescit.
Post hæc caritativè sacerdos eum suscipiat,
humiliter eum sedere faciat secum, blandè
eum hujusmodi sermonibus attrahat. Fra-
ter, non erubescas confiteri peccata tua &c.*

Ordo ad dandam pœnitentiam.

Vnde suprâ.

CCC. Post hæc interroga eum blandè le-

Burchard.
ibid.

nitérque. Credis in Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum? *Resp.* Credo. Credis quòd istæ tres personæ unus Deus sit? *Resp.* Credo. Credis quòd in ipsa ista carne, in qua nunc es, in ipsa resurgere habes in die iudicij & recipere siue bonum siue malum quod gessisti? Credo. Vis dimittere illis peccata qui in te peccaverunt, Domino dicente *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* *Resp.* Volo. Et require ab eo diligenter si est incestuosus, aut suo seniori infidelis. Et si non vult incestum dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Si autem vult, potes. His præmissis, pœnitentem alloqui affectuosè debet sacerdos his verbis:

Math. 6.

Frater, noli erubescere peccata tua confiteri. Nam & ego peccator sum, & fortassis peiora quàm tu feceris habeo facta. Hæc idcirco admoneo, quia usitatum generis humani vitium est, ut beatus Gregorius dicit, & labendo peccatum committere, & commissum confitendo non prodere, sed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare. Et qui diabolo instigante nefanda crimina perpetrare non metuimus, hæc eadem quæ opere absque ulla verecundia perfecimus, eodem suadente saltim verbis confiteri erubescimus, & coram homine, qui similis nostri est, eisdemque fortasse passionibus subjacet, confundimur dicere quod coram Domino, qui omnia inspicit, absque ullo mentis rubore committere non formidavimus detestanda actione. Sponte ergo fateamur quod nullo cogente commisimus. Si verò nos nostra scelera cela-

*S. Gregor. lib.
22. Moral.
c. 9.*

verimus, ab illo manifestabuntur qui & * ac-
 cusator est peccati & incentor. Ipse enim hic
 nos ut peccemus instigat; ipse, cum peccave-
 rimus, accusat. Si ergo in hac vita prævenia-
 mus eum & ipsi sceleris nostri accusatores si-
 mus, nequitas diaboli inimici nostri & accu-
 satoris effugiemus, Paulo teste, qui ait: *Si*
nosmetipsos judicavimus, non utique dijudica-
remur.

* Cod. Rivin-
 pull. auSor
 Vide Ruric.
 lib. 2. epist. 12.

1. Cor. 11.

Videns autem eum sacerdos verecundan-
 tem, rursus prosequatur: Fortasse, carissi-
 me, non omnia quæ gessisti ad memoriam mo-
 dō veniunt. Ego te interrogabo. Tu cave ne
 diabolo suadente aliquid celare præsumas. Et
 tunc eum ita per ordinem interroget.

Fecisti homicidium aut casu aut volens, aut
 pro vindicta parentum, aut jubente domino
 tuo, aut in publico bello. Si voluntariè fecisti,
 septem annos pœnitere debes; si nolens aut
 casu, quinque annos. Si pro vindicta parentis,
 unum annum, & sequentibus duobus annis
 tres quadragesimas & legitimas ferias. Si in
 bello, quadraginta dies. Si liber es, & juben-
 te domino servum innocentem occidisti, an-
 num unum, in duobus aliis annis tres quadra-
 gesimas & legitimas ferias. Si servus dignus
 est morte, quadraginta dies pœniteat.

Fecisti truncationes manuum aut pedum,
 aut oculos hominis eruisti, aut vulnerasti ho-
 minem. Pro truncatione annum unum pœ-
 nitere debes; pro vulnere, quadraginta dies
 pœniteas.

Fecisti perjurium aut pro cupiditate seculi,
 aut coactus & pro necessitate aut pervicacia

aut parentum , aut nesciens aut alios in perjurium induxisti scienter. Si sciens pejerasti , & alios in perjurium induxisti , septem annos pœnitere debes. Si nesciens , annum unum & tres quadragesimas. Si pro vita vel membris, tres quadragesimas.

Fecisti furtum aut sacrilegium aut infracturas vel rapinam , tollens quod tuum non erat. Si domos per noctem infregisti & quadrupedia tulisti vel fortiorem causam valentem solidis quadraginta, annum unum pœnitere debes & pretium reddere. Si non reddis, annos duos pœniteas. Si maiorem fecisti furtum , tres annos pœnitere debes. Et si sæpe fecisti , annos septem. Pro modico furto viginti dies , pueri decem dies. Si de Ecclesia aliquid tulisti, quod est sacrilegium , septem annos pœniteas.

Fecisti adulterium cum uxore aliena vel deponfata , vel virginem corrupisti , sive cum sanctimoniali vel Deo dicata , vel cum absoluta femina , id est , sine marito , vel cum ancilla propria. Si mœchatus es cum alterius uxore aut cum sanctimoniali , septem annos pœniteas. si cum virgine , duos annos. si cum vidua , annum unum. Si tuam uxorem dimisisti & alterius junxisti , septem annos pœniteas. Si cum vacante femina , tres quadragesimas & legitimas ferias. Si cum propria ancilla , quadraginta dies pœnitere debes.

Nupsisti cum uxore tua vel ancilla retro. Si fecisti , quadraginta dies debes pœnitere.

Nupsisti cum uxore tua quadraginta dies ante partum , quadraginta dies debes pœnitere.

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 143

Nupisti in die dominico, tres dies pœnitere debes.

Fecisti raptum de virgine vel vidua, tres annos pœnitere debes.

Fecisti fornicationem, sicut Sodomitæ fecerunt, cum pecoribus aut cum matre vel sorore, quindecim annos vel duodecim pœnitere debes.

Coinquinatus es cum uxore tua in quadragesima. Si hoc fecisti, annum unum pœnitere debes aut viginti sex solidos in eleemosynam dare. Si per ebrietatem evenit, quadraginta dies pœniteas.

Hoc etiam caveri debet, ut viginti dies ante Natale Domini & Pentecosten & omni die dominica & post conceptionem manifestatam vir contineat se ab uxore.

Dixisti falsum testimonium pro cupiditate aut nesciens, annum unum pœniteas.

Truncaisti ullum membrum, tres annos pœniteas.

Odisti fratrem tuum. Quandiu in ipso odio fuisti, tandiu pœniteas in pane & aqua.

Detraxisti ullum hominem ad senioem vel ad pares propter invidiam, quadraginta dies pœniteas.

Violasti in furto sepulcrum, annos duos pœniteas.

Contigit tibi ulla negligentia de sacrificio Domini, centum quadraginta dies pœniteas.

Consuluvisti magos aut aruspices aut incantatores aut fortilegos, vel vota quæ ad arbores vel ad fontes fiunt vovisti, annos tres pœniteas.

Tulisti aliquid pecuniæ de Ecclesia. Aut in quadruplum restitue, aut tres annos pœniteas.

Perdidisti aliquem per injustam delaturam, tres annos pœniteas.

Duxisti aut transmisisti aliquem in captivitate, tres annos pœniteas.

Editio Helmestadiensis ita habet : Duxisti aut transmisisti ullum hominem Christianum in captivitate, tres annos. *Burchardus in libro XIX. paulò fusiùs, & cum aliquo discrimine.* Duxisti aut transmisisti vel vendidisti aliquem hominem in captivitate, nisi pro pace communi. Si fecisti; reduc eum, si poteris. Sin autem, duos annos per legitimas ferias pœniteas.

Cremaſti domum aut aream alterius, tres annos pœniteas.

Fecisti vomitum per ebrietatem, quindecim dies pœniteas. Si per contentionem, quadraginta. Si nesciens, sex dies pœniteas.

Editio Helmestadiensis : Fecisti vomitum per ebrietatem, xv. dies pœniteas. Si per contentionem, xl. Si nesciens, vii. dies pœniteas. Similiter si sanguinem comederis.

Manducaſti morticina aut dilacerata à beſtiis, quadraginta dies pœniteas. Similiter si sanguinem comederis.

Bibiſti de liquore in quo mus vel muſtela mortua inventa fuerit, quadraginta dies pœniteas.

Contempſiſti indictum jejunium in Ecclesia vel decreta ſeniorum, quadraginta dies pœniteas. Si in quadrageſima, unum annum.

Oppreſſiſti

Oppressisti infantem tuum, quinque annos aut tres pœnitere debes.

Bibisti ullum maleficium, id est, herbas vel alias causas, ut non potuisses infantes habere, aut alio donasti, aut hominem per mortiferam potionem occidere voluisti, aut alium hoc facere docuisti, aut de semine viri gustasti ut in amorem tuum exardesceret, aut chrisma bibisti aut ad subvertendum Dei iudicium alteri dedisti &c. Si quid huiusmodi operatus es, septem annos pœniteas.

Necasti voluntariè partus tuos, decem annos pœniteas. Et si filium vel filiam occidisti, duodecim. Et si in utero ante conceptum, unum annum. Si post conceptum, tres annos. Si tuus infans per tuam negligentiam sine baptismo mortuus est, annum unum pœniteas, & nusquam sis sine aliqua pœnitentia.

Fecisti aliquid, quod pagani faciunt in Kalendis Januarij, in cervulo vel in vegula, tres annos pœniteas.

Fecisti aliquid vel dixisti in quocunque opere quod inchoas per sortilegam vel magicam artem, annum unum pœniteas.

Misisti filium tuum super tectum aut super fornacem pro aliqua sanitate, vel incendisti grana ubi mortuus homo fuerat, quinque annos pœniteas.

Cantasti carmina diabolica super mortuos, viginti dies pœniteas.

Junxisti te mulieri tempore menstruo, quadraginta dies pœniteas.

Nupsisti cum uxore tua, postquam peperit, antequam quadraginta dies adimplerent.

tur, triginta dies pœniteas.

Communicasti de sacrificio Domini, & non priùs abstinuisti ab uxoris amplexu quinque aut septem diebus, dies viginti pœniteas.

Operatus es aliquid in dominica die, septem dies pœniteas.

Detraxisti vel maledixisti aliquem causa invidiæ, septem dies pœniteas.

Burchard. lib.
19. c. 6.
Capitulare
Theodulfi
c. 51.

* *Ista desunt
in edit. Hel-
mæstad. & in
cod. MS. Ad-
dita autem
sunt ex Bur-
chardo &
aliis.*

Nunc tibi octo principalia vitia explica-
bo, id est, superbiam, vanam gloriam, invi-
diam, iram, tristitiam, avaritiam, ventris in-
gluviem, luxuriam. Ex quibus si te culpabi-
lem recognoscis, pœnitentiam suscipe. Nam
ex his omnia vitia oriuntur. [* De superbia,
quæ initium omnis peccati est & regina om-
nium malorum, nascitur omnis inobedientia,
omnis præsumptio, & omnis pertinacia, con-
tentiones, hæreses, arrogantia.] De vana glo-
ria oriuntur inobedientia, jactantia, hypocri-
sis, contentiones, pertinacia, discordiæ, no-
vitatum præsumptiones. De invidia nascitur
odium, susurratio, detractio, exultatio in ad-
vêrsis proximi, afflictio in prosperis. De ira
oriuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ,
clamor, indignatio, blasphemix. De tristitia
nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, deli-
peratio, torpor, vagatio mentis. De avaritia
oriuntur proditio, fraus, fallacia, perjuria,
inquietudo, & contra misericordiam obdura-
tio. De ventris ingluvie propagatur inepta la-
titia, scurrilitas, immunditia, multiloquium,
hebetudo sensus. De luxuria generatur cœci-
tas mentis, inconsideratio, inconstantia, præ-

cupitatio, amor sui, odium Dei, affectus præ-
sentis seculi, horror & desperatio futuri.

A L L O C U T I O.

ERGO si superbus usque modò fuisti, hu- Burchard. lib.
19. c. 7.
milia te ipsum in conspectu Dei. Si vanam
gloriam dilexisti, cogita ne propter transito-
riam laudem æternam perdas mercedem. Si
invidiæ rubigo te huc usque consumpsit, quod
est maximum peccatum & super omnia dete-
stabile, quia diabolo comparatur invidus, qui
primo homini invidit datum quod ipse per
suam culpam perdiderat, age pœnitentiam, &
profectum aliorum, tuum deputa. Si tristitia
te superat, patientiam & longanimitatem me-
ditare. Si avaritiæ morbus gravat, cogita quia
radix est omnium malorum & idololatriæ
comparatur, & ideo largum te esse oportet.
Si ira te vexat, quæ in stultorum sinu requies-
cit, dominari debes animo tuo, & hanc à te
mentis tranquillitate fuga. Si ventris ingluvies
ad vorandum pertrahit, sobrietatem sectare.
Si luxuria, castitatem vove.

Tunc prosternat se pœnitens in terram, &
cum lacrymis dicat: Et in his & in aliis quibus-
cunque humana fragilitas contra Deum &
creatorem suum aut cogitando, aut loquendo,
aut operando, aut delectando, aut concupif-
cendo peccare potest, in omnibus me peccasse
& reum in conspectu Dei super omnes homi-
nes esse cognosco & confiteor. Humiliter
etiam te, sacerdos Dei, exposco ut intercedas
pro me & pro peccatis meis ad Dominum &
creatorem nostrum, quatinus de his & de om-

148 R E G I N O N I S L I B. I.
nibus sceleribus meis veniam & indulgentiam
consequi merear.

Deinde sacerdos surgat & psalmum xxxvii.
decantet. Deinde L. & LIII. & prosternat se
in terram, & dicat hanc orationem.

O R A T I O.

Precor, Domine, clementiæ & misericor-
diæ tuæ majestatem ut famulo tuo illi nunc
peccata & facinora sua confitenti veniam rela-
xare digneris & præteritorum culpas indul-
geas. Qui humeris tuis ovem perditam reduxi-
sti, qui publicani precibus & confessione pla-
catus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo illi
placatus esse digneris. Tu hujus precibus be-
nignus adspira, ut in confessione placabilis
permaneat. Fletus ejus & petitio perpetuam
clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque
altaribus restitutus rursus æternæ ac cælesti
gloriæ mancipetur, qui vivis &c.

Deinde adjungatur:

Burchard. lib.
19. c. 7.

Deus omnipotens sit adjutor & protector
tuus, & præstet indulgentiam de peccatis tuis
præteritis, præsentibus, & futuris.

Præfatio Be-
dæ de reme-
diis peccato-
rum.

Hæc de remediis peccatorum ex priorum
monumentis excerpimus; in quibus tamen
omnibus, non auctoritate censoris, sed confi-
lio potius compatientis usi sumus, sollerter
admonentes doctum quemque sacerdotem
Christi ut in universis quæ hic adnotata repe-
rerit, sexum, ætatem, conditionem, statum,
personam, intellectum, ipsum quoque cor